

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0906

0904

0910

0900

0915

0895

0955

0855

1005

0805

0405

Ende

Anfang

333

unum de vasis, et vinum per saccum cilicinum, quo involutum erat, defluxit in terram, de quo non modicum turbati fuimus, quia vinum optimum erat et magno pretio comparatum et multo studio absconditum propter Sarracenos. Non autem tantum turbavit nos perditio vini, quantum insania Sarracenorum. Timuimus enim, quod Sarraceni odorem vini sentientes in nos irruerent et alia vasa etiam rumperent, et si vino privati fuissemus, peregrinationem montis Synai aggressi non fuissemus nec vivere in deserto potuissemus sine potu vini. Dimisimus ergo vinum in terram defluere, quia non erat aliud vasculum prae manibus, diligentissime tamen observavimus, ne camelarii et asinarii accederent et de defluenti vino biberent, quia, ut gustassent, statim inebriati fuissent et turbati nos turbassemus et supellectilem nostram neglexissent. Ego asinum meum cuidam militi assignavi et ad latus camelii cucurri, ubi erat vinum defluens, et nullum Sarracenum accedere permisi, sed flasconem meum duarum mensurarum ex stillicidiis implevi, et ita lento gradu processimus. In quantis autem fuerimus angustiis inter viam istam parvam faciendum propter diversas paganorum insidias et (b) labores, non facile scripserim. Intantum autem retardati fuimus in via et impediti, quod viam, quam in quatuor horis facere potuissemus, vix in VII horis perfecimus, et in nocturnis tenebris Bethleem ingressi fuimus. In portico autem ecclesiae Bethleemitanae exoneravimus camelos et asinos cum magno labore et omnes res in quandam cameram ecclesiae annexam traximus et custodiam juxta cameram posuimus. Ingressi autem cum luminibus in ecclesiam ad locum dulcissimae nativitatis Domini descendimus, et ibi adorato Domino venit pater Gardianus cum fratribus et nos charitatively suscepit ac in habitaculum refectionis et dormitionis nostrae nos introduxit. Sciebant enim adventum nostrum et ideo omnia paraverant, coenam et lectisternia. Coenam ergo eam laetitia sumsimus egregiam, nostris expensis paratam, et post eam ad quiescendum nos locavimus. Gloria in excel- sis Deo.

Die XXV. mensis Augusti post noctis medium, scilicet ante lucem, surreximus, et ingressi specum nativitatis Domini Officia nostra ibi legimus, horas canonicas et Missas. Cum

